


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



153

Erat autem vir paucorum verborum et non litigativus, sed strenuus, et suspectum habuimus Tanguardinum de Cairo, quod ille eum scriptis corruperit, ad excoriandum nos inducens. Et ita de facto fuit. Sed et Halliu nos etiam promovit et perdidit; in se vero vir justus fuit ipse Schambek, nullum gravans et fideliter protegens. Sic ergo et hoc die in hospitio mansimus, sed nullum defectum nec vini nec alicujus rei necessariae passi sumus. Vicesima sexta die, quae erat dominica XXII. post Trinitatis, missas celebravimus et quietius devotioni hac die stetimus et prandio sumto in umbrosis locis nos continuimus propter intensissimum solis fervorem, nam cum illo in tempore sit apud nos quasi hiems, ibi adhuc erant calidissimi dies, sicut numquam sunt apud nos aestivo tempore. Advesperascente die iterum audivimus clangorem tubarum et fragorem bombardarum ad receptionem aliarum navium. Ascendimus ergo altanam et vidimus grandem galeam Christianam portum intrare. Misimus ergo servum unum de domo ad mare, ut exploraret, unde galea illa venisset et quas merces afferret. Revenit ergo servus dicens, navem istam de Campaniae partibus, quae est contermina Apuliae et Italiae, venisse et nullas alias merces habere, nisi avellanas, quas nos vocamus nuces avellanas, quarum galea tota repleta. Si quidem Campania illa nuces istas in magna copia producit, unde etiam appellantur abellanae, ab Ellana, oppido Campaniae, nec crescunt in orientalibus partibus, (128 a) propter siccitatem et calorem terrae, sed solum crescunt in locis humidis, frigidis et macris et ideo ducuntur de Campania in Syriam et Aegyptum, tamquam peregrinae et carae merces. Interrogavimus autem die sequente unum Theutonicum, qui eadem galea venerat et galeota erat, quanti pretii aestimarentur avellanae istae simul. Respondit, quod inexpertus vix credit, quod galeae patronus speraret, se multa millia ducatorum recepturum pro eis. Scribere non audeo numerum millium ducatorum, quem servus ille nobis determinate expressit. Carae enim valde sunt in Oriente nuces illae et homines orientales libentissime eas comedunt tamquam rem pretiosam et eis sanam, cum tamen apud nos non pretiosae nec sanae sunt, sed puerulis ad ludendum exponuntur et inter silvestria computantur, sicut et glandes. Verum tamen alias condiciones merces illae acquirunt ductae in Orientem, quam habent apud nos. Nam nobiscum ultra annum reservatae tabescunt vel

164

162

168

158

173

153

213

113

263

063

Ende

Anfang